

quod illi de ciuitate coligunt limum & terram putridam & faciunt magnos montes
 & sic eos dimitunt per xxx & xl annos | quod ipsos montes non mouent. & tunc ^{52v°}
 terra in illis montibus tam longo tempore ita conficitur. quod parascides facte ex
 ipsa colorem habent accuri. & sunt ualde relucens & pulcherrime ultra modum Et
 debetis scire quod cum homo terram illam congregat pro filijs eius congregat
 uidelicet quod propter longum tempus quo debet quiescere ad confectionem
 ipsius non sperat consequi inde lucrum nec ponere ipsam in opus set filius qui
 post ipsum est uicturus fructum consequitur ex ipsa &ct Nunc de regno fugui
 diximus quod una de nouem partibus mançi & magnus can maiorem in ipso sequitur
 redditum & prouentum excepto quam in regno Qinsay quam in aliquo aliorum.
 Et hoc est solummodo propter redditum portus çaytum. Nos quidem non diximus
 de omnibus nouem regnis prouincie mançi. set solum de tribus. uidelicet yançu
 Qinsay & fuguj de quibus bene intellexistis de istis uero tribus narauimus ita per
 ordinem. quia per ipsa dominus marcus transitum suum fecit. nam iter suum
 ducebatur illac. de alijs uero sex audiuit & intellexit multa set quia non perambu-
 lauit ea non potuisset sic ad plenum ut de alijs enarasse. quare de ipsis dimitimus.
 set bene & sufficienter narauimus de prouincia in generali & partim in speciali
 uidelicet de mançi. set scire debetis quod per totam prouinciam mançi una
 seruatur loquela & una maneries litterarum tamen in lingua est diuersitas per
 contratas ueluti apud laycos inter lonbardo[s] prouinciales — francigenas &ct ita
 tamen | quod in prouincia mançi gens cuiuslibet contrate potest gentis alterius ^{53r°}
 intelligere ydioma. Narauimus & de esse prouincie cathay generaliter & par-
 ticulariter secundum quod cognoscere potuimus satis ordinate & de multis alijs
 prouincijs gentibus bestijs aibus auro & argento perulis. lapidibus preciosis &
 mercimonijs & de multis alijs ac moribus & consuetudinibus gentium secundum
 quod intellegere potuistis Set tamen quia liber noster non est expletus de hijs que
 in eo scribere uolumus quoniam adhuc omnia facta Jndorum desunt que bene
 notificanda sunt hijs qui ea nesciunt & ignorant quia ibi sunt multa diuersa &
 extranea que in alio mundo alicubi non apparrent & ideo bene dicendum est/ & est
 utile in nostro libro per ordinem declarare Et aperte dicetur prout dominus marcus
 paulo uidit & dixit per ordinem. Et Noueritis quod dominus marcus paulo fuit
 in partibus yndie tanto tempore conuersatus quod tam ex auditu quam ex uisu
 satis potuit de Jndorum moribus & esse ad plenum cognoscere & uidere.
 verumtamen ibi sunt tam mirabilia quod multum mirabuntur auditores. tamen
 ipsa ponemus in scriptis per ordinem secundum quod sepedictus dominus marcus
 paulo ea retulit esse uera incipientes secundum quod per uos poterit comprehendi//
 Hic Incipit liber tractare de Jndia in quo declarantur mores & consuetudines
 habitantium in ea & mirabilia multa/

hic tractat de Jndia